

1482

*Fædericus
Urbinas
meritur.*

Pontifici . Retuli . Mors . Secundis . Rebus . Invidit .
Tradunt quidam , duos summos Italiæ imperatores eodem die interiisse ; hunc de quo loquor , & Fædericum Urbinatem , quem ex Stellatinis castris Ferrariam delatum diximus .

Dum vero hæc in Latio gerebantur , in Gallia Petrus Maria Rubrius Venetorum partes secutus , circa Parmam Sforcianas opes sollicitare non destiterat , affiduisque incursionibus omnia hostibus infesta reddere . Sed Veneti non tam nocendi studio Mediolanensium res Rubrianis armis vexabant , quam ut domestico bello impliciti , Æstensi Herculi illi auxiliari non possent . Ad hos motus comprimendos continuo Sforcianæ copiæ in Parmensem agrum transivere ; quæ Rubrium gravi bello adortæ , non solum intra suos fines compulerunt , sed Nucetum quoque oppidum aliquandiu oppugnatum illi ademere , nec multis post diebus & arcem Candidam . Erantque in hoc statu Rubriorum res , quum Petrus ipse , vir fortissimus , morbo implicitus vita decessit . Guido , qui ab eo hæres relictus erat , cum fratribus ad Secundum oppidum , ubi belli sedem figere destinarat , se recepit . Verum exclusis Venetorum auxiliis , quippe quæ tum propter Padum , tum quia a Venetis finibus longissime recedebant , nulla mitti poterant ; etsi Sforcianas opes ferocissime diu pertulere , ac nonnunquam etiam fregere , ut in Parmensi agro , ubi duæ Rubrianæ turmæ adversus Sforcianas copias triplo majores prospere dimicasse dicuntur ; longo tamen bello fatigati , ut postea dicitur , cessere . Erat jam autumnus pars non parva exacta , quum Severinas morbo levatus , in castra jam pene desolata rediit . Omnia erant languentium plena , quanquam ex iis , qui vim morbi evicerant , jam non pauci convalescere cœperant . Summæ rei præerat Lucas Pisanus , qui ex Verona decreto Patrum , Laurentano morbo decedente , in castra venerat , ut tantisper illic legati nomine esset , dum Joannes Hemus ex Brixianis finibus revocatus Ficariolum venisset . Præerat